

# CLARISSIMO CONSVLTISSIMOQVE

## MEDICINÆ DOCTORI D. DOMINO IOANNI DV-PVY, REGIS

Christianissimi, & Illustrissimi Niuernensium Ducis Medico ordinario longè expertissimo,

CAROLVS LE DOVESNE Ἀθανασίας.



ROMÆ olim, Vir Clarissime, *opinio obtinuit, regna, atque imperia à fortuna quæ maximè in rebus humanis dominari videtur, dono dari vt scribit author bonus. Sed mox addit, haud cuiquam res ab illa quasi per ludum & iocum datas diu incorruptas permansisse. Maximè verò delectauit me Appij Claudij sententia asserentis, Quemque fortunæ suæ fabrum esse. Quæ sententia, in te* (Vir Consultissime) *vel maximè locum habet qui te eximiâ vi ingenij, doctrinâ, labore & industriâ Regibus, Principibus & summis viris probasti. Qui magno studio & insigni pulcherrimarum rerum notitia, ad eam qua apud Principes vales gratiam profluxisti. Accedit quòd & dicendi facultate, & lepore, quòd morum suauitate, quòd gratiâ omnium tibi gratiam conciliasti. Eæ res mihi, ad Medicinæ lauream aspiranti veluti calcar addiderunt, vt me in certamen illud* ἰατρικὸν, *non satis fortè ab omnibus quæ oportet, instructum, tuo ductu, & auspicio, offerrem. Animum porrò auxerunt*, Vir Ornatissime, *præclara tua insignia, sidera & rosæ, quibus ego erectus in eam spem perueni fore vt post plurium annorum laborem & molestiam per acuta spinarum acumina, ad speratæ laudis rosas, ad clara (quæ mihi auspicium faciunt) stemmatis tui sidera pertingerem. Quidquid sit, quidquid euenturum erit*, Mæcenas optime, *tui nominis auspiciis certamen hoc ingressurus, tuo nomini, tuæ fortunæ, tuæ gratiæ, tuis rosis ac sideribus rei susceptæ euentum, victoriámque ac laurum, si qua dabitur, debere me palam apud omnes profitebor.*

# QVÆSTIO MEDICA.

## Quodlibetariis diſputationibus agitanda in Anthonianis Medicorum Remenſium Scholis, die 1. Decembris, Præſide Clariſſimo viro D. PETRO LE COMPER Doctore Medico, & Profeſſore Anthoniano, hora octaua matutina.

*An in febribus coniectura certior ab vrina quàm à pulſu.* 54.

MORBORVM qui in intimo corporis receſſu conditi ſunt, nec oculis obuii, nec vllo ſenſu manifeſti, perdifficilis eſt cognitio: arduum enim cerebri affectiones cranij vallò circumſeptas, cerebri anfractuoſis gyris implicitas, denique in ventriculos altiùs immerſas expiſcari: aut in pulmonum canaliculis deliteſcentes rimari, aut in viſceribus latitantes detegere, aut confuſas implicitáſque dilucidè explicare, operoſum ſanè, maximè verò iis qui ſymioticæ lumine deſtituuntur, illius ſiquidem notis tanquam rerum indiciis mens rectâ ratione deducitur, & in intima penetrans quæcumque magna obſcuritate inuoluuntur, ſic detegit, vt ea oculis cernere videatur. Eſt autem σημειωτικὴ vt vox ipſa ſonat nihil aliud quàm doctrina ſignorum: Signum verò ex Galeni decreto definitur id quo cognito aliud quod ignotum nobis erat detegitur, ignotum illud corporis eſt conſtitutio quæ triplex, ſana, ægra, neutra, eadem ratione ſigna ſalubria, inſalubria & neutra. Rurſus diagnoſtica, prognoſtica, & anamniſtica. Inſalubria diagnoſtica (vt cætera omittamus) triplicia, vel enim cauſam morbi, vel morbum, vel affectam partem declarant. Partis affectæ indicia ſunt actio læſa, excrementa, ſitus, doloris proprietas, & propria accidentia, inter quæ maximæ ſignificationis ſunt excrementa non modò ad affectam partem, imo etiam ad affectum ipſum dignoſcendum. Sic de cerebri conſtitutione lachrymæ, aurium excrementa & mucus certò renuntiant, de pulmonum vitiis ſputum, de primæ regionis affectibus fæces, de habitu corporis ſudores, denique de humorum qui venis concluduntur, in quibus febres ferociùs exultant, immoderatione vrinæ.

FEbris commune totius corporis malum definitur calor præter naturam à corde in omne corpus effuſus à natiuo nulla eſſentiali, ſed accidentali ſolùm differentia diſcrepans, calor enim mediocritatis limitibus coërcitus, ſi aſsiduo incremento de temperie & mediocritate decedat, & plus nimiò exuperet qui naturalis fuerat ſenſim non naturalis euadit, vitioſus proinde & naturæ iam infenſus. Febrium differentiæ multiplices pro ſubiecti ratione in ſpiritibus ephemera, in humoribus putrida, in partibus ſolidis hectica. Rurſus putrida, vel continua, vel intermittens vtraque ex humorum diuerſitate diſtincta. Cõtinuarum fomes venis maioribus, intermittentium viſceribus concluditur: harum ſigna diagnoſtica frigus, horror, rigor acceſsionis initio, in declinatione ſudor, à declinatione, intermiſsio, illarum verò calor repente accedens nullo rigore, horrore aut frigore prægreſſo, aut ſi quando iſta contingant noxij humoris non parum circa præcordia inhæreſcit, qui rigore concutit dum totus calor ſit accenſus. Vltra viginti quatuor horas exporrigitur, nec vllo ſudore remittitur, eò vſque durans dum totus conquieſcat, pulſus inæqualis, vrinæ denique turbidæ, flammeæ, quæ cùm humorum portio quædam ſint, aut ſaltem ex iis defectæ reliquiæ quæ illorum ſit conſtitutio certiùs quàm pulſus referunt.

VRINA ὄχημα τροφῆς Hippocrati dicitur ortum habet à potu vel liquore quocumque qui in ventriculum demiſſus cibis ſolidioribus permiſcetur, eorùmque elixationem promouet, elixatos demum deducit in inteſtina, & per tenues meſenterij ductus deuehit ad iecur, vbi ſuo illo vehendi munere perfunctus partim rapitur ad renes, partim verò vnà cum ſanguine in venam cauã delabitur, vt in exiliores venas & ſingulas corporis partes ſanguis craſsior faciliùs deducatur, inde vel in ſudores abſumitur, vel in cauam remeans à renibus attrahitur, & per vreteres in veſicam demittitur, vnde vrgente neceſsitate per ouretram foras exilit oculíſque ſubiicitur, ſecundæ coctionis cuius excrementum eſt fideliſsima nota, cacochymiæ & plethoræ certiſsimum indicium, coctionis & cruditatis humoris morbifici indubitatum argumentum, iecoris, renum, & veſicæ affectionum ſignum non pœnitendum, febrium verò omnium τεκμήριον, copioſa ſiquidem vrina colliquantis febris, parcior, exurentis, fœtida putridæ, alba & tenuis quotidianæ, pinguis hecticæ, confuſa & fœtida malignæ indicium eſt. Febribus enim omnibus quoniam venoſi generis affectiones ſunt, ad vrinas præcipuè attendere oportet, imò in febribus acutis earũ tãta vis eſt, vt ipſis ſolis credendũ eſſe Medicinę proceres aſſeuerent.

PVlſus eſt actio cordis & arteriarum diaſtole & ſyſtole conſtans, ad ſpirituum reparationem, caloris contemperationem, & fuliginum expulſionem, illius differentiæ multiplices, quædam exilitatis ſuæ tenebris ita inuoluuntur, vt exactiſsimũ licet ſenſum effugiant, quædã verò perfacili rhythmi permutatione ita obſcurantur, vt acutiſsimam iudicij aciem obtundant. Non immeritò igitur ad pulſuum abſolutam cognitionem requiri totam vitam author eſt Medicinæ lumen Galenus, ipſámque pulſuum dignoſcendorum artem egregiè nauos induſtrióſque non voluptuarios exigere, cuius rei veritas in febribus maximè eluceſcit in quibus tanta eſt pulſuum varietas, vt ipſe Galenus qui hanc Medicinæ partem ab Hippocrate neglectam mirum quantùm illuſtrauit, quibuſdam ſibi conſtare non videatur, eò quòd nunc hos nunc illos putridis febribus adſcripſerit: Ij tamen in hac tanta varietate tantíſque difficultatum tenebris, ſi quod lumen febrium cognitioni adferre poſſunt, illud maximè à magnitudine, vehementia, frequentia, celeritate mutuantur: verùm & hæ pulſuũ inſigniores differentiæ à cauſis tùm internis, tùm externis ita immutantur, vt omnis iudicandi ratio deficiat, etenim magnitudo duritie arteriæ, habitu pingui, frigore ambiente interpellatur, vehementiam arteriæ durities ementitur, frequentia & celeritas in virium oppreſsione etiam ſine febri obſeruantur, ſic quotidianæ corporis arteriarúmque conſtitutiones pulſus immutant & neceſsitatis ſignificationes obſcurant.

PVLSIBVS tamen ſua etiam ineſt dignitas, vt & vrinis ſua leuitas, quid enim admirabilius quàm pulſuum beneficio quæ futura ſunt prædicere? quid diuinius quàm mortem vel ſalutem nedum mortis horam præuidere? quid denique Medico vtilius præſagiendi arte eſſe poſsit, nam futura prædicendo id conſequitur, vt ægri maiorem ei fidem adhibeant, & iuſsis conſtantiſsimè pareant quòd ſuas affectiones ipſi perſpectas eſſe videant. Præterea cùm ad ſalutem deduci omnes ægri nequeant, prædictio morituri Medicum à calumnia vindicat, vt non immeritò illud dixiſſe viſus ſit Galenus, præſagia mortis crimine Medicum vindicare, ægróſque Medico obſequentes reddere. At verò futilem & prorſus inanem eorum doctrinam quis non deſpiciat qui vel captandæ gloriæ deſiderio, vel inſatiabili habendi cupiditate ducti tanquam arioli multa de abſente ægroto ex ſola vrinæ inſpectione augurantur multiplici verborum circuitu hominum mentes irretientes. Incertam ſanè & plerumque dubiam mercedem referet qui pereclitatione Medicos tanquam vates augurari coget, conſultor verò prudens & fidelis ſani conſilij fructum percipiet.

*Ergo in febribus coniectura certior ab vrina quàm à pulſu.*

Has Medicínæ aſſertiones (Deo dante) tuebitur Carolus le Doüeſne Abrincenſis, Baccalaureus Medicus, Anno Domini 1622.



*DOMINI DOCTORES DISPVTATVRI.*

*M. Simon Heruetus, Profeſſor Anthonianus.*
*M. Nicolaus Abrahamus Frambeſarius Regis Regiarúmque Turmarum Medicus.*
*M. Ioannes Coterius.*
*M. Ioannes Blanchebarbe.*
*M. Claudius Gillatius.*
*M. Andreas Oudet Decanus.*
*M. Ioannes Richeletius.*
*M. Nicolaus Rainſſant.*